

justitia, quoniam credendo dedit gloriam Deo. Itaque placuit Deo fides illa, per quam ipse glorificatus est, et ideo merito illius fidei, quæ tamen donum et gratia ipsius erat, Abrahamum justificavit.

Item ad Roman. x : *Omnis*, inquit Apostolus, *quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? quomodo credent sine prædicante* (1) ? Ubi beatus Paulus, sicut facit causam fidei prædicationem Verbi, ita facit causam invocationis ipsam fidem, et causam salutis, id est, justificationis, invocationem. Ex quo intelligimus fidem per invocationem, impetrare justificationem. Non igitur fides relative justificat, accipiendo videlicet oblatam justificationem, sed quærendo, pulsando, petendo, denique invocando et impetrando justificat.

Postremo (ut alia multa loca præteream) ad Hæbræos xi. multis exemplis Apostolus docet, per fidem placere homines Deo, ac per hoc fidem apud Deum magni esse pretii ac meriti. De Abele scribit, eum per fidem adhuc, quamvis defunctum, loqui. Hoc est sanguinem ejus clamare ad Deum, et vindictam impetrare ob meritum fidei ipsius. De Henoch scribit, fide translatus fuisse ne videret mortem, hoc est, merito fidei, per quam placuerat Deo placuisse autem per fidem, quia sine fide impossibile est placere Deo. Alia id genus multa in eo capite leguntur, quæ longum esset, minimeque necessarium huc adferre.

Ad hæc testimonia Scripturæ addam testimonia S. Augustini, qui constanter docet plurimis in locis, fidem impetrare et mereri remissionem peccatorum et justificationem. Ex quo intelligetur hunc sanctissimum virum, quem adversarii aliis omnibus anteponunt, longissime abfuisse ab errore Lutheranorum de fide justificante relative, sive per solam apprehensionem sine ulla sua efficacia, vel merito.

Igitur S. Augustinus lib. i. Retractat. cap. 23. approbat, quod alicubi dixerat : « Non opera, sed fides inchoat meritum ». Item in epist. 105. ad Sixtum, ante medium : « Nec ipsa, inquit, remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei. Qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus merito fidelis

(1) Rom. X, 13.

humiliatus, quoniam qui se humiliat exaltabitur ». In epist. 106. ad Paulinum, ante medium : « Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo vero gratissime confitemur ». Quo loco per gratiam bene operandi justificationem intelligit : « Nam, ut ipse sæpe repetit, bona opera accedunt justificato, non præcedunt justificandum ». In epistol. 144. ad Anastasium : « Lex, inquit, adducit ad fidem, fides impetrat spiritum largiorem, diffundit spiritus charitatem, implet charitas legem ». In lib. de spiritu et littera cap. 13. « Quod factorum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat ». Et cap. 30. « Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ ». In libro de fide et operibus cap. 21. « Violentia, inquit, fidei Spiritus sanctus impetratur, per quem diffusa charitate in cordibus nostris, lex, non timore pœnæ, sed justitiæ amore completur. » In lib. i. cont. adversarios legis et Prophetarum cap. 17. « In novo, inquit, Testamento fides impetrat charitatem ». In lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 7. « Ex fide, inquit, ideo dicit Apostolus justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur ». Denique libro de gratia et libero arbitrio cap. 14. « Fides, inquit, et non petita conceditur, ut ei petenti alia concedatur ».

Habemus igitur ex Augustino non semel, aut iterum, sed sæpe ac sæpius repetitum, fidem impetrare justificationem, remissionem peccatorum, gratiam bene operandi, ac per hoc justificare per modum dispositionis ac meriti, non propter nudam relationem, qua justificationem aspiat vel recipiat. Vide quæ diximus in ii. lib. de pœnit. cap. 12. ubi probavimus, contritionem esse causam meritoriam justificationis, et respondimus ad objectiones, quæ contra meritum ejusmodi dispositionum fieri solent. Vide etiam solutionem argumentorum contra hoc meritum fidei cap. 21. hujus libri.

CAPUT XVIII.

Fidem non solam justificare, probatur ex causa formali justificationis et necessitate operum bonorum.

Restat argumentum postremum, quod hic solum indicandum, sed alibi perficiendum erit. Sumitur enim ex duobus principiis, quæ in libris sequentibus demonstrantur. Unum principium est, causam formalem justificationis non esse justitiam, quæ est in Christo, vel solam remissionem peccatorum; sed justitiam in nobis realiter inhaerentem, ad quam justitiam Scripturæ et Patres præcipue charitatem pertinere docent. Ex hoc principio, quod in sequenti libro tractabitur, evidenter sequitur, non solam fidem per modum dispositionis justificare. Nam justitia ista realis et inhaerens non debet apprehendi per fidem, sed infundi per gratiam.

Ad hanc autem infusionem, disponit quidem actus fidei, sed disponunt etiam actus timoris, penitentiae, aliarumque virtutum, sed præter cæteros, actus dilectionis sine dubitatione disponit. Illis enim actibus disponuntur homines ad ejusmodi gratiam recipiendam, quos Deus in Scripturis sanctis præexigit, ac prærequiri significat. Prærequiri autem secundum Scripturas actum fidei, timoris, spei, pœnitentiæ et dilectionis, supra probatum est. Neque adversarii, præsertim paulo saniores, id negant; sed interpretantur, eos actus, excepta fide, prærequiri quoad præsentiam, non quoad apprehensionem justificationis. Quare si talis ponatur justificatio, quæ non apprehensione, sed infusione obtineatur, non erit ulla causa, cur soli fidei tribuatur dispositio justificationis.

Adde, quod ipsa etiam natura nos docet, iis actibus disponi materiam ad recipiendam formam, qui sunt eorum similes, qui consequentur formam. Ligna enim per calorem disponuntur ad formam ignis concipiendam, quoniam ex igne calor procedit. Itaque ad formalem justificationem, quæ potissimum in infusione charitatis sita est, nihil magis quam dilectio, sive pœnitentia ex dilectione disponit. Neque id adversarii unquam negassent, aut de fide justificante controversiam ullam fecissent, nisi de ipsa formali justificatione novam doctrinam prius excogitassent.

Simile argumentum ducitur ex necessitate operum bonorum ad salutem; quod est alterum principium suo loco probandum. Nam si fides sola justificaret impium, certe ipsa etiam sola salvaret; non enim amitti posset justitia, quibuscumque malis operibus, nisi amitteretur fides; proinde manente fide, maneret justitia; manente autem justitia, salus quoque esset in tuto.

Neque istas consecutiones adversarii negare possunt, aut negant. Lutherus enim in lib. de Captivitate Babylonica cap. de Baptismo, disertis verbis scribit, tam esse divitem hominem Christianum, ut quibuscumque operibus, amittere salutem non possit, nisi nolit credere. Et in Colloquio Altemburgensi Ministri Saxonici Ministros Electorales, id est, Illyriciani Majoristas, sive Lutherani rigidi Lutheranos molles reprehendunt, quod distinguant inter justitiam et salutem, quasi bona opera non justificent, sed sola fides; non salvet autem fides sola, sed etiam opera. Illi vero respondent, opera quidem bona necessaria esse ad salutem, sed necessitate præsentiae, aut necessitate signi, quod videlicet fides adsit: tamen non minus salutem, quam justitiam tribui soli fidei.

Itaque argumenta omnia ex Scripturis et patribus deprompta, quibus infra suo loco probabimus, ita necessaria esse opera bona ad salutem, etiam hominibus justificatis, ut sine illis fides sola non salvet, probant etiam fidem solam non justificare, quod in præsentia susceperamus probandum.

CAPUT XIX.

Solvitur argumentum primum ex Scripturis, depromptum pro sola fide

Nunc argumenta solvenda sunt, quibus adversarii magno conatu contendunt, solam fidem justificare. Revocabimus autem testimonia Scripturæ, quæ illi proponunt ad certa capita, ut confusio evitetur.

Primum igitur argumentum sumunt ab illis testimoniis, quæ docent, hominem sine operibus justificari. Inde enim effici non dubitant, solam fidem justificare. Testimonia hæc sunt, Rom. iii : *Exclusa est gloriatio tua, per quam legem? factorum? non. Sed per legem fidei.* Et paulo post : *Arbitramur ho-*

minem justificari per fidem sine operibus legis. Rom. IV. *Si Abraham ex operibus justificatus est habet gloriam, sed non apud Deum.* Galat. II. *Scientes, quod non justificabitur homo ex operibus legis.* Ephes. II. *Gratia estis salvati per fidem, non ex operibus.* Tit. III. *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos.* Philipp. III. *Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam, quæ est ex fide (1).*

Ad hæc testimonia breviter explicanda, et argumentum pro sola fide penitus profligandum, tria quædam prænotanda erunt. Primo, quid sit apud Apostolum lex factorum, et lex fidei. Secundo, quid intersit inter justitiam legis et justitiam in lege. Tertio, quid intelligat Apostolus per opera, cum dicit, hominem justificari sine operibus.

Quod attinet ad primum, Calvinus et Kemnitius et alii sectarii, per legem factorum intelligunt legem, quæ requirit opera, per legem fidei eam, quæ requirit fidem. Sed refellit hanc explicationem S. Augustinus, cum alibi sæpe, tum præcipue in libro de spiritu et littera cap. 13. ubi demonstrat, legem evangelicam, quæ maxime requirit fidem requirere etiam opera, et omnium mandatorum, ac totius Decalogi observationem: et contra demonstrari posset, legem Mosis, quæ maxime requirit opera, requirere etiam fidem.

Lex igitur factorum apud Apostolum est ea, quæ jubet quid sit faciendum, lex fidei est ipsa fides, quæ impetrat gratiam faciendi, quod lex factorum jubet. Itaque utraque lex requirit opera, sed lex factorum continet præceptum, lex fidei auxilium. Lex factorum præstat, ut cognoscamus, lex fidei facit, ut faciamus. Lege factorum dicit Deus, fac quod jubeo, lege fidei dicimus Deo, da quod jubes. Denique lex factorum est littera, quæ occidit jubendo et non juvando, lex fidei est spiritus, qui vivificat opem ferendo, ut justificatio legis impleatur in nobis. Ex quo sequitur, ut non solum lex Mosis, sed etiam lex Christi, quatenus aliquid imperat, sit lex factorum, et lex fidei sit spiritus fidei, non solum quo nos Christiani, sed etiam Patriarchæ et Prophetæ, et omnes antiqui justii, Dei gratiam impetrarunt, et justificati gratis per eandem gratiam, legis mandata servarunt.

(1) Rom. III, 27; ibid. 28; Rom. IV, 2; Gal. II, 16; Eph. II, 8; Tit. III, 5; Phil. III, 9. — (2) Rom. II, 13; ibid. 16; Rom. VIII, 4. — (3) Rom. X, 3; ibid. IX, 30.

Quantum ad secundum, justitia legis (ut etiam initio hujus libri breviter indicavimus) sunt opera justa, quæ lex faciendæ præscribit. Neque hanc justitiam usquam Apostolus rejicit tamquam inutilem, sed contra potius ita commendat, ut dicat Roman. II. *Factores legis justificabuntur.* Et in eod. cap. *Si præputium justitiæ legis custodiat, nonne præputium in circumcisionem reputabitur?* Et Rom. VIII. *Deus misit Filium suum in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum, ut justificatio legis impleretur in nobis (2).* At justitia ex lege, sive in lege sunt illa opera, quæ homines faciunt sine gratia fidei, sola cognitione legis adjuti, et hæc opera non justificant coram Deo, sed solum coram hominibus, qui tantum externa considerant.

Hanc justitiam tamquam inutilem B. Paulus rejicit, et opponit justitiæ fidei, hoc est, operibus bonis, quæ fiunt ex gratia et fide. Eandem justitiam ex lege vocat Apostolus ad Roman. X. justitiam propriam, et opponit justitiæ Dei: *Ignorantes, inquit, Dei justitiam, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Et cap. IX. *Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam; Justitiam autem, quæ ex fide est; Israel autem sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus (3).* Hoc est, Israelitæ quærentes implere legem justitiæ, revera legem justitiæ implere non potuerunt; quoniam viribus propriis non ex gratia Dei, quam fides impetrat, legem justitiæ facere præsumpserunt: « Putant, inquit Augustinus libro III. contra duas epistolas Pelagian. cap. 7. se arbitrii sui viribus implere legem jubentem, et ista implicati superbia, ad gratiam non convertuntur juvantem. Ac per hoc miro quodam modo, sed tamen vero, justitiam legis non implet justitia quæ in lege est, vel ex lege, sed quæ in spiritu gratiæ. Justitia quippe legis impletur in eis, sicut scriptum est, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Secundum justitiam vero, quæ in lege est, se fuisse sine querela in carne, non in spiritu, dicit Apostolus, et justitiam quæ ex lege est, suam dicit fuisse, non Dei. Intelligendum est igitur, justitiam legis non impleri secundum justitiam quæ in lege est, vel ex lege, id est,

secundum justitiam hominis, sed secundum justitiam, quæ est in spiritu gratiæ. Quod planius, et brevius ita dici potest, justitiam legis Dei non impleri, cum lex jubet, et homo quasi suis viribus facit, sed cum spiritus adjuvat, et hominis non libera, sed Dei gratia liberata voluntas facit. Vide eundem lib. de grat. et libero arbitr. c. 12. ubi rursus de hac ipsa re copiose disputat.

Quod jam ad tertium pertinet, adversarii existimant per opera, quæ B. Paulus a justificatione excludit, intelligi omnia omnino opera, sive ante fidem, sive post fidem facta, immo etiam ipsam fidem, si consideretur ut opus.

At hanc absurdissimam esse sententiam, et ab ignoratione Scripturæ profectam, docet idem Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio cap. 7. « Homines, inquit, non intelligentes, quod ait ipse Apostolus Paulus, Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis, putaverunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi male vivat, et bona opera non habeat. Quod absit, ut sentiret vas electionis. Et mox adjungit, non excludi opera, quæ fiunt ex fide, et nos etiam supra probavimus, requiri ad justificationem actum spei, timoris, penitentiae, dilectionis, et ipsius fidei, non solum credentis, sed etiam orantis et impetrantis, qui actus opera quædam merito dici possunt.

Nonnulli ex Catholicis docent, per opera, quæ a justificatione Apostolus excludit, intelligi observationem legalium caeremoniarum, circumcisionis, sabbati, neomeniarum etc., qui ea ratione moventur, quod ad Rom. cap. III. idem Apostolus posteaquam dixerat: *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis,* subjungit, *An Judæorum Deus tantum? nonne et gentium (1)?* Et ad Rom. II. III. et IV. et ad Galat. II. et III. ubi de hac re disseritur ex proposito, semper adducatur in medium exemplum circumcisionis.

Cæterum sententia S. Augustini constans, et sine dubitatione verissima est, per opera, quæ fidei opponuntur, et a justificatione excluduntur, intelligi opera, quæ fidem præcedunt, quæque solis viribus liberi arbitrii fiunt. Ita docet Augustinus loco citato de gratia et libero arbitrio cap. 7. de prædestinatione Sanctorum cap. 7. præfat. in Psal. 31. et ubicumque de hac re disputat. Quod

(1) Rom. III, 28. — (2) Rom. IV, 4.

idem aperte docet etiam S. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, ultra medium. Et ratio hujus sententiæ est, quoniam ad Roman. IV. ad Ephes. II. et ad Tit. III. Apostolus simpliciter excludit opera, nulla mentione facta legis Mosaicæ. Hinc enim intelligimus, non excludi solum legalium caeremoniarum observationem, sed etiam moralium.

Excludi autem omnia opera facta ante fidem, non autem omnia absolute, probari potest ex cap. IV. ad Rom. ubi legimus: *Ei qui operatur, merces imputatur secundum debitum, non secundum gratiam (2).* Quo loco explicat Apostolus ipse, quid intelligi debeat per opera, quæ opponuntur fidei; ac dicit, illa se vocare opera, quibus id, quod redditur, est merces, non gratia. Talia autem non sunt nisi illa, quæ fiunt ex solis viribus liberi arbitrii. Nam operibus, quæ fiunt ex gratia, qualis est ipse actus fidei, et quæ inde consequerentur, id quod redditur, non est simpliciter merces; sed etiam gratia, immo magis gratia quam merces.

Et confirmatur hæc ratio ex ipso scopo epistolar. ad Rom. et ad Galatas, neque enim dubitari potest, quin Apostolus in duabus illis epistolis demonstrare voluerit, neminem posse justificari sine fide in Christum, et gratuita Dei misericordia. Proinde quamvis sæpe meminerit circumcisionis, et caeremoniarum legis propter Judaizantes, qui multum in illis confidebant: tamen absolute omnia opera fidem præcedentia excludere voluit; præsertim cum in epistola ad Romanos, non solum Judæis, sed etiam gentilibus, qui non minus philosophiam jactabant, quam Judæi legem, Christi fidem necessariam esse ad justificationem, et salutem persuadere voluerit.

Ex his facile respondetur ad illa omnia loca. Ad primum ex cap. 3. ad Rom. respondeo, excludi gloriationem Judæorum per legem fidei, non per legem factorum, quoniam homo justificatur ex gratia, quæ primo fidem inspirat, deinde per fidem ad indulgentiam, et opera bona perducit; non autem justificatur per legem factorum, id est, per solam notitiam legis, et vires liberi arbitrii.

At contra Kemnitius: « Apostolus, inquit, vult excludere omnem gloriationem, igitur excludit omnia opera, etiam facta per fidem, vel ex fide. Nam de illis etiam posset aliquis gloriari. » Respondeo: non excludit Aposto-

lus omnem gloriationem, sed illam solum, quæ oritur ex operibus per solas vires liberi arbitrii factis. Non enim dicit, ubi est gloria? sed ubi est gloria tua? id est, ubi est gloria, qua in te gloriaris, et non in Domino? ex operibus autem factis ex fide, ac per hoc ex gratia, cum fides ex gratia sit, nemo potest gloriari, nisi in Domino, quæ gloria non est prohibita, cum idem Apostolus dicat: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur*, II Corint. x (1).

Itaque S. Augustinus libro de gratia et libero arbitrio cap. 7. cum dixisset, non intelligere Apostolum ad Rom. III. eos, qui dicunt solam fidem sufficere ad justificationem, reddidit causam cur dictum sit, hominem justificari per fidem sine operibus: « Quia, inquit, et ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, a quo nobis et fides est, et dilectio ». Et in lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 7. « Ideo, inquit, per fidem justificari dicit Apostolus hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera. »

Ad secundum de Abraham ex cap. 4. ad Rom. respondeo, Abrahamum justificatum fuisse per fidem, non per opera præcedentia fidem, quoniam non potuissent illa esse vere justa, nisi secundum externam justitiam, et ideo si per illa justificatus fuisset, habuisset gloriam, sed apud homines, non apud Deum. Idem dicendum est ad loca sequentia ex cap. 2. ad Galat. cap. 2. ad Ephes. et cap. 3. ad Titum. Nam in illis omnibus locis solum excluduntur opera facta ante fidem.

Sed hic etiam occurrit Kemnitius, ac probat, excludi etiam opera facta per fidem. Nam Abraham jam renatus erat, et ex fide operabatur eo tempore, de quo loquitur Apostolus, et tamen idem Apostolus excludit opera ejus a justificatione. Item Galatæ renati erant, et in Christum credebant, et tamen eorum opera Paulus opponit fidei, et aperte rejicit. Immo status questionis in epist. ad Galat. non alius esse videtur, nisi utrum opera ex fideificent, an fides sola justificet. Apostolus autem respondet, hominem justificari ex fide, non ex operibus, id est, ex sola fide.

Respondeo: Abraham eo tempore, de quo loquitur Apostolus, renatus quidem erat, et ex fide multa bona opera faciebat: tamen Apostolus cum dicit, eum justificatum esse

ex fide, non ex operibus; non rejicit opera facta ex fide, sed affirmat illa non esse facta sine fide, quia si talia fuissent, numquam eum justificassent. Itaque excludit opera, quæ Abraham facere potuisset non ex fide. Nam etiam ii, qui fidem habent, aliquando operantur non ex fide, ut cum peccant, aut cum faciunt opera pure moralia sine relatione ad Deum.

Denique loquitur Apostolus cum conditione, si Abraham justificatus est ex operibus, non precedentibus ex gratia fidei, ut ii putabant, qui suis viribus tribuebant justitiam; certe habuit gloriam, sed non apud Deum. Et quoniam satis constat, Abrahamum habuisse gloriam etiam apud Deum, inde colligit, eum non esse justificatum ex operibus sine fide, sed ex fide, ex qua bona opera vere procedunt.

Porro in epist. ad Galat. duplex tractatur quæstio: una specialis, an cæremonia legalis ad Christianos pertineant, ita ut sine illis salvi esse non possint; altera generalis, an per legem, et vires naturæ possit contingere justificatio sine gratia, et fide JESU Christi. Ad utramque respondet Apostolus negative. Quæstionem autem illam, quam fingit Kemnitius, ne verbo quidem attingit. Id autem ita se habere, perspicuum est ex illis verbis: *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est*. Galat. II. et ex illis: *Si ex lege hæreditas, ergo non ex promissione*. Galat. III. et ex illis: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis*. Galat. V. et Rom. IV. *Si ex lege hæreditas, excidit fides, abolita est promissio* (2).

Nam istæ consecutiones firmissimæ sunt, si excludantur a justificatione opera facta sine fide et gratia, ex sola cognitione legis, et viribus liberi arbitrii. Nam si lex, et natura sufficiunt ad justificandum; quid opus fuit, ut Christus moriendo, de peccato damnaret peccatum, ut justificatio legis impleretur in nobis? et si lex, et natura sufficiunt ad justitiam, sufficiunt etiam ad hæreditatem, non enim injustus est Deus, ut justos fraudet corona justitiæ, ut S. Augustinus loquitur in libro de natura et gratia cap. 2. Quod si lex, et natura sufficiunt ad hæreditatem, quid opus fuit promissione? Denique si lex, et natura sufficiunt, evacuati sumus a Christo, et a gratia excidimus, quoniam his opus nobis non esse profiteamur.

At eadem istæ consecutiones infirmissimæ sunt, neque aliquid efficiunt, si quis per eas excludere velit opera, quæ fiunt ex gratia et fide. Neque enim Christus gratis mortuus dici potest, si justificamur ex fide et operibus consequentibus fidem; imo nisi Christus mortuus esset, non possemus ex fide et operibus inde sequentibus justificari. Hæc enim omnia gratia Dei donavit nobis per Jesum Christum Dominum nostrum. Sic etiam, non ideo hæreditas non est ex promissione, quia opera ex fide et gratia procedentia ad justificationem sunt necessaria; quin potius ideo est ex promissione hæreditatis, quoniam sine promissione non fuisset gratia, sine gratia non fuisset fides, sine fide non fuissent opera justa, quibus redderetur hæreditas, id est, ipsa corona justitiæ. Ac demum non evacuemur a Christo neque a gratia excidimus, qui ex fide Christi, et operibus gratiæ justificamur, sed contra potius, nisi ad Christum, et ejus gratiam pertineremus, fidem et opera justificantia non haberemus.

Quare cum Paulinæ illæ consecutiones vim habeant adversus eos, qui justificationem operibus factis sine fide, et gratia tribuebant, non autem adversus eos, qui a justificatione opera consequentia fidem, et gratiam non excludunt; manifeste sequitur, Apostolum in epist. ad Galatas contra eos tantum disserere, qui legem, et opera sine fide Christi magnificiebant: neque statum quæstionis in ea epistol. esse, an opera ex fide, sed an opera sine fideificent.

Ad ultimum ex cap. III. ad Philip. respondemus (ut supra diximus) justitiam ex lege, vocari opera, facta ex cognitione legis per solas naturæ vires.

At contra objicit Kemnitius, Apostolum non solum loqui de operibus suis, quæ fecerat ante fidem, cum damnat justitiam propriam, sed etiam de operibus, quæ tunc faciebat, cum esset Apostolus Christi. Nam de prioribus dixit in præterito, omnia arbitratus sum detrimenta, de posterioribus dicit in præsentem, omnia arbitrator ut stercora. Itaque B. Paulus omnia opera sua, sive ex fide, sive sine fide facta contemnit, et pro stercoribus habet, sola interim Christi fide contentus.

Respondeo: mirum est, quam prompti sint hæretici ad blasphemias, nulla ferme oblata occasione. Nam quod Apostolus inter scribendum nunc utatur tempore præterito, nunc tempore præsentem, non cogit, ut existi-

memus eum loqui de rebus diversis. Potuit enim de iisdem illis operibus factis in lege, et ante fidem dicere, se initio conversionis illa omnia pro detrimentis habuisse, et nunc etiam illa eadem nihili facere, et non solum pro detrimentis, sed etiam pro stercoribus habere, quod in dies magis ac magis intelligat illorum operum inane. Et re vera locutum esse B. Paulum, etiam in præsentem, de operibus factis in lege, et ante fidem, perspicuum est ex antithesi, quam facit cum dicit: *Ut inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi*. Ubi opponit justitiam suam, id est, opera sua justa facta ex fide, quæ sunt vere justa coram Deo, justitiæ suæ, id est, operibus suis justis factis in lege sine fide, quæ non poterant esse vere justa coram Deo, sed solum exterius, et in facie hominum, apud quos (ut ipse ibidem scribit) fuerat in Judaismo sine querela versatus.

At quanta quæso blasphemia est, opera facta ex fide, et gratia Christi, stercora nominare, quæ ad Galat. V. Fructus spiritus ipse idem vocat Apostolus? ergo ne Spiritus sancti fructus stercora sunt? et quo modo II Timoth. IV. B. Paulus gloriatur, et dicit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex*? Ita ne de stercoribus gloriari debuit tantus Apostolus? et quæ debetur stercoribus corona justitiæ? et quis ille est justus judex, qui stercora coronare dignatur? Deinde, quam gratiam debemus Deo, qui nos creavit in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit ut ambulemus in illis ad Ephes. II. si ista opera nihil sunt aliud, nisi stercora? Denique, si opera bona fidelium, detrimenta, ac stercora sunt, certe facienda, et amplectenda non sunt, sed excutienda, atque abjicienda sunt. Eat nunc Kemnitius, et queratur, quod eum hostem operum bonorum esse dicamus.

CAPUT XX.

Solvitur alterum argumentum ex Scripturis petatum pro sola fide.

Alterum argumentum sumunt ab iis locis, ubi sola fides nominatur, cæteris omnibus operibus, vel dispositionibus prætermis. Matth. IX. Lucæ VII. *Fides tua te salvam fecit*. Lucæ VIII. *Crede tantum, et salva erit*.

(1) II Cor. X, 47. — (2) Gal. II, 21; ibid. III, 48; ibid. V, 4; Rom. IV, 14.